

scilicet in quo per noctem iaciturus fuerat, sub idem tempus corruente. Sed cur, quæso, Val. Maxime, quod sequitur filuisti: an quia dum breuis esse laboras, obscurus fieri, ne dicam imperfectus & mendax elegisti? an quia Ciceronis libros vnde ista sumebas, in manus posterorum nequaquam peruenturos credidisti? neque non lecturos quibus verbis hic Deiotari auspiciam à Cicerone refellitur? At id neque si fatum fuerat effugisset, inquit, nec si non fuerat, in eum incidisset. Auctoris tui & mei verba recognosse, nihil immuto, sed sicut in tractatu Somniorum dixi, nescio quomodo voluisse mihi visus es, superstitionibus prægrauare animos, quos potius exonerare debueras, eoque magis miror, vbi nam aliud eiusdem Regis auspiciam reliquisti, bello autem ciuili vir sapiens, sine auium consilio nihil agens, prosperis hortantibus auspiciis perrexit ad Pompeium. Vbi quàm multis & periculis & incommodis affectus est, bello Pharsalico victus ac fugatus, tanto distractus ab amico & quo fideliter amantibus nihil est amarius, plenus abiit graui mœrore rerum præsentium, & venturi spe deterrima, itaque

EYIA

C. iij.